Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1795

Quelle:
Copyright:

VIII. *fol.* 107. p. 2. *Incipit oratio de ſancto brandano, quam quicunque cantauerit ducenties, valet contra centum pſalteria et centum oblationes. Et qui cantauerit una vice, valet contra VII. pſalteria et VII. oblationes. Et ſi quis cantauerit ſuper altare, multum valet apud deum et redimet animam ſuam de inferno.* Mirum, quod haec non pariter oraculo pontificio commendetur. Ceterum, quidquid etiam hic Precum ſequitur, ſanum eſt, atque inter eas jam legitur Affectus ille: *Anima Chriſti ſanctifica me* &c. quem non pauci recentiorem dixiſſent.

DCCXLIV.

U. 701 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 332. f. magnifice exaratus, columna media Textum, marginibus Gloſſas exhibentibus, fronte picturata Autoris Iconem ſiſtens, coloribusque diſtinctus inſcribitur: *Incipit ſumma de penitentia a magiſtro raymundo compoſita.* Eſt is *Gregorii* IX. Tribonianus dictus *de Pennaforti* O. P. mortuus a. 1275. et inter Divos relatus. Produxi jam Opus iſtud *Vol.* I. P. 3. *col.* 2505. et hoc *Vol. Summam de Poenitentia et Matrimonio* IV. Libris conſtantem vulgo compellant Literatores, ſed in Codice hoc ſane vetuſto poſt Libros III. *de Poenitentia*, qui finiunt: *Venite benedicti percipite regnum. Amen.* novo titulo, novoque Capitum Elencho: *Incipit ſumma de matrimonio a magiſtro Raimundo compoſita.* Quare *duae* potius diſtinctae *Summae* habendae ſunt, id, quod nec mihi prius, nec in Editione *Rom.* 1603. f. quae mihi adjacet, obſervatum fuit. Ad calcem Librarius literis picturatis et mire criſpatis ſignavit: *Qui ſcripſit hunc Librum pergat in Paradiſum, cui Deus Electorum palmam tribuat in ibi eorum.* De Gloſſarum Autore jam dixi *l. ſupracit.* hic vero moneo, in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 106. ad marginem annum mortis *Raymundi* errore typi depravatum eſſe in 1238.

DCCXLV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2223 XIV. Folior. 355. 4. min. multis quidem vocum compendiis, nitide tamen exaratus, et coloribus diſtinctus ita inſcribitur, et orditur: *Incipit ſumma de caſibus fratris* eraſo nomine. *Quoniam ut ait Jeronimus Secunda poſt naufragium tabula eſt culpam ſimpliciter confiteri — — ego remundus inter fratres ordinis predicatorum minimus* &c. Vides, quid profuerit inepto raſori cultellus, qui et ad calcem *Raymundi* nomen ſtudioſe delevit non attendens, illud occurrere mox in primis Textus lineis. Novimus *Dominicanis* et *Franciſcanis* non admodum ſaepe conveniſſe; litera porro prima Codicis D. *Franciſcum* quinque ſtigmatibus inſignem exhibet, unde credibile eſt eum in uſum cujusdam Familiae Seraphicae ſcriptum fuiſſe, nomen vero Autoris lividae aemulationis impulſu ab uno aliquo